DISCURSUS JURIS PUBLICI
SEXTUS
De
PRÆLATIS
S. ROMANO-GERMANICI IMPERII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quem

D. T. O. M. A.

Ampliſſimæ & Conſultiſſimæ Juridicæ Facultatis in almâ hac Salanâ Conſenſu,

PRÆSIDE

CHRISTOPHORO BEINDORFFIO, WANTZLEBIENSI Magdeburgico.

Dominis ſuis Collegis examinandum proponit

NICOLAUS FÖHR Halâ-Saxo.

Ad diem Septemb. horis & loco conſuetis.

JENÆ

EX TYPOGRAPHEIO LITHANDRI,

ANNO cIↄ Iↄ C XIX.

THESIS I.

COnſideratâ quartâ ſtatuum ſacri Romano-Germanici Imperii claſſe, in qua ſeculares ſeu politici dicti imperii Principes fulgent, ad quintam progredimur, quæ Prælatos continet. *Paurmeiſt. 2. de jurisd. c, 2. n. 17. Dn. M. Reinh. König, amicus meus ſingulariter colendus, diſp. polit. 8. theſ. 15. diſcurſ. noſtro 1. th. 32.*

2. Ne autem vocabulum Prælatorum errorem nobis obtrudat in ipſius originem & ſignificata paulisper inquiramus. Etenim, qui naturam vocabulorum, quæ notæ ſunt & quaſi cubilia rerum, negligit, ille quodammodò cum vulpe Æſopica vitreum vas lambit, interiorem autem pultem attingere nequit: nam per verba ad res manuducimur.

3. Vocula Prælati à præferendo derivatur, & in noſtro jure Juſtinianeo adjectivam habet ſignificationem, *l. 28. ff. ad L. Cornel. de falſis. l. 1. §. 2. ff. de edendo.* ubi à Modeſtino & Ulpiano JCtis, prælatus dies dicitur pro anticipato, & cum nondum veniſſet, ſcripto quod vulgus dicit Antidato. Contrarium eſt *in l. 3. ff. de fid. inſtrum. Gothof. ib. lit. n. Paurmeiſt. 2. de jurisd. c. 10. n. 1. Calvin. in lex. jurid. verb. Prælatus.*

4. In jure Canonico & apud ejus juris interpretes, vox Prælati ſubſtantivè reperitur poſita, & Antiſtitem Eccleſiaſticum ſignificat *tot. tit. de poſtul. prælat. & de Eccleſ. prælat.* variasq; ſuſtinet ſignificationes.

5. Primò enim illi, qui habent curam animarum latiſſimè Prælati appellantur, ut Præsbyteri. Imò hac in acce-

ptione quilibet adminiſtrator habens perpetuum officium, licet ad voluntatem ſuperioris removeri poſſit, Prælatus vocari poteſt. Unde infertur, cuſtodem vel miniſtrum fratrum minorum etiam eſſe Prælatum, *Lancell. Conr. in templ: omn. jud. lib. 2. c. 10. n. 10. Canoniſtæ plerîq; in c. 2. cum gloſſ. & ibi Felinus de judic.*

6. *Secundò* illi qui habent præeminentiam ſine jurisdictione, latè Prælati dicuntur, ut Plebani *Lancell. d. l.*

7. *Tertiò* illi ſtrictè & propriè vocantur Prælati, qui jurisdictionem ordinariam habent, ſeu qui Pontificatum, Patriarchatum, Archiepiſcopatum, Epiſcopatum, Abbatiam & alia beneficia majora poßident: non verò rectores Eccleſiarum *Clement. II. ibiq; gloſſa in verbo Prælati, Felin in c. 2. de jurisd.*

8. Nos in hoc diſcurſu duplicem Prælatorum inſtituturi conſiderationem. 1. Eoſdem tanquam perſonas Eccleſiaſticas. 2. tanquam ſeculares ſeu politicas conſiderabimus.

9. Eccleſiaſticam perſonam Prælati ita deſcribimus. Prælati ſunt, qui ad dignitatē prælaturæ per legitimā electionem evecti, & competentem jurisdictionem adepti ſunt, ut eandem in ſua diœceſi vel diſtrictu debito modo ad ſalutem illius exercerent.

10. Horum Prælatorum electionem paucis nunc percurremus; in qua 1. notandum, qui. 2. quales. 3. à quibus. 4. quando. 5. Ubi eligendi ſunt Prælati.

11. Qui ergò & quales eligendi, ſextupliciter conſiderantur. 1. quoad ætatem. 2. quoad natales. 3. quoad ſcientiam. 4. quoad vitæ curſum. 5. quoad fidem & ordinem. 6. quoad dignitates.

12. I, Quoad ætatem: minor 30. annis non eſt eligendus, *c. cum in cunctis. 7. de elect.* niſi cum minore diſpenſetur, *c. 8. X. de præbendis.*

13. II. Quoad natales: Illegitimè enim nati non ſunt eligendi, *cap. 7. de elect. c. 1. de filiis presbyt.* ſed qui legitimo matrimonio nati ſunt. Ab hac tamen regula non rarò recedimus, ſi perſona ex illegitimo coitu nata virtutibus, quæ

Prælatum

Prælatum decent ornata fuerit: tunc enim ſuffragantibus menrtis connivendo, id eſt, per diſpenſationem recipitur.

14. III. Quoad ſcientiam: qui ſcientiam dignitati Eccleſiaſticæ convenientem non habet & ſufficiente eruditione imbutus non eſt, *c. 1. & 2. diſt. 36.* eligendus non eſt, *cap. cum in cunctis de elect.* Item nec ſimplex & imperitus ſecularium negotiorum, *c. 1. diſt. 39.* nec is, qui domui ſuæ præeſſe nequit, *c. 8. diſt. 47. ibiq; gloſſa.*

15. IV. Quoad vitæ curſum: cum non ſit eligendus, qui malis moribus præditus eſt. *c. cum in cunctis, in pr. verſ. gravitas morum. & §. inferiora. verſ. & moribus commendandus. de elect.* nec qui malè ſibi conſcius eſt, *cap. 7. de ætat. & qual. præf.* Nec avarus & qui non eſt hoſpitalis, *c. 1. diſt. 85.* avaritia enim impedit promotionem, *c. 1. diſt. 42.* & domus Clerici debet eſſe omnibus communis, *c. 70. cauſ. 16. quæſt. 1. ibiq; gloſ.* nec qui delectatur laudibus malorum, *c. 6. diſt. 83.* nec excommunicatus, *c. ult. verſ. ſi tamen de Cleric. excomm.* ſicuti is, qui antea fruſtra fuit electus, vel contra leges ſe eligi paſſus eſt, *c. un.* X. *de poſtul. prælat.* niſi prior electio non vitio perſonæ, ſed ob modos fuerit caſſata. *c. 12. de elect.* Nec Laicus. *c. 1. & 2. diſt. 61. c. ult. qui neophyti. diſt. 51.* niſi cauſa propter quam Laici eligi prohibentur, ceſſet: tunc n. prohibitio quoq; ceſſabit, *c. 7. §. ſed ſciend. 61. diſt. l. 52. C. de Epiſc. & Cler. l. 4. C. de hæred. inſtit.* Nec de crimine aliquo accuſatus vel denunciatus, *c. 4. de accuſat.* & hoc procedit etiam in dignitatibus ſecularibus, *l. 29. ff. de liberal. cauſa. l. 7. ff. de muner. & hon.* quia ex pendentia accuſationis gravatur opinio accuſati, ut interim non dicatur perſona integra. *Panormitan. ad d. c. 4.* nec reprehenſibilis, *c. unum. §. nunc autem. diſt. 25. c. 16. diſt. 61.*

16. V. Quoad fidem & ordinem: Nam qui alterius fidei vel ordinis eſt, non debet eligi, *c. 1. de elect c un.* X. *de poſtul. prælat.* nec qui eſt alterius Eccleſiæ, *c. 32. §. probibemus. de præbendis in 6.* niſi fortè in Eccleſia vacante idoneus reperiri nequeat, *gloſ. ib.* aut loci conſuetudo ſit contraria, *c. 8. de conſuetud.* nec ſchiſmaticus *c. 33. XXIV. q. 1.* niſi ſit converſus. Nec Simoniacus *c. 12. c. 59. de electione.*

17. VI. Quoad dignitates: habens enim plures dignitates vel plura beneficia non eſt eligendus, *c. 54. de elect.*

18. Hactenus pro virili, qui & quales ſint eligendi, eſt oſtenſum: nunc ſequitur à quibus ſint eligendi, ſeu quibus jus eligendi competat.

19. Prælati ergò à populo eligi non debent: quia ipſi non competit jus eligendi, *c. 8. diſt. 63.* & multò magis eſt docendus quàm ſequendus, *Bonif. Vitalin. de malef. lib. 1. c. 1. n. 13.* Nec à Laicis, quia jus eligendi in collegiata Eccleſia non cadit in laicum *c. 51. de elect.* hujuſmodi enim merè ſpiritualia à laicis poſſideri non poſſunt, *c. 1. XVI. q. 7.* quòd ſi attentare voluerint, pro ſacrilegis ſunt habendi *d. l.* & penes ipſos manet neceſſitas obſequendi, non autoritas imperandi, *c. 20. XVI. quæſt. 7.* ſed potiùs à collegio, vel ab iis, qui pacto vel privilegio vel conſuetudine jus eligendi obtinuerunt. *c. cum Eccleſia. de cauſ. poſſeſſ. c. ult. XVI. q. ult.*

20. Item penes Clericos & Monachos jus eligendi eſt. *c. ult. §. ſed nec ille. diſt. 51.* niſi Clerici vel Monachi alterius Eccleſiæ ſint, quàm quibus Prælatus eſt eligendus *cap. 47. de elect.* in eadem a. civitate ubi Prælatus obvenit eligendus, cæteri Monachi & Clerici non excluduntur, *c. 32. §. cum ergò, cum c. ſequente diſt. 63.*

21. Nec deceſſori alicujus monaſterii vel Eccleſiæ relinquitur jus eligendi ſibi ſucceſſorem, *c. 2. & 3. VIII. q. 1.* de jure ſcilicet communi, ſed de diſpenſatione Papæ, *cap. 17. VII. quæſt. 1.* & ex deliberatione cum iis, penes quos eſt jus eligendi, fieri poteſt, ut ſucceſſor à deceſſore conſtituatur.

22. Sequitur in ordine porrò, quando nimirùm electio ſit facienda? Videmus autem, quod capite Eccleſiæ ſeu Monaſterii defuncto, & ita Eccleſia vacante, alius eligendus ſit, *c. 5. cap. ſicut vir. 11. & 39. VII. q. 1.* niſi prior ob culpam fuerit remotus, *c. 1. de cauſa.* aut renunciaverit: aut communi conſenſu ad aliam Eccleſiam tranſierit, *c. 34. VII. q. 1.*

23. Inſtituenda autem erit electio intra tres Menſes à die mortis, aliàs jus eligendi amittitur, & ad ſuperiorem proximum devolvitur, *c. 41. de elect. c. 11. diſt. 50.* ſi autem fortaßè per ſuperiorem electio prorogata fuerit, quo minus

intra

intra ſtatutum tempus elegerint, nihil obeſt regulæ : modò non prioribus ceſſantibus, quibus jus eligendi competit, eligendi jus ad alium fuerit devolutum: tunc enim alii tres menſes adduntur, *d. c. 41. verſ. is verò.*

24. Non autem ſtatim à die mortis vel depoſitionis alterius de ſucceſſore tractandum convenit; ſed demùm poſt diem tertium, *c. 7. diſt. 79.*

25. Progredimur nunc ad locum, ſeu ubi electio facienda? quod ſuppeditat nobis, *c. 28. in pr. verſ. cum juxta. de election. c. 25. in pr. de appellat.* in Eccleſia ſcilicet debere fieri; quia hujuſmodi ſpiritualia in Eccleſia ſive Capitulis ad hoc deputatis fieri debent, *c. 1. diſt. 23.*

26. Nec ſufficit electionem prædictis modis fieri, cum debeat etiam illud accedere; quod omnes ii ad quos jus eligendi pertinet, prius convocare neceſſe ſit, *c. 28. §. ſi autem. c. 34. §. objectionibus de electione.* In Patriarcha autem eligendo, prius Papæ autoritas requiritur, *c. ſancta. x. de elect.* ſi ſecus factum fuerit, irritum decernitur.

27. Modum autem eligendi triplicem habemus in *c. 24. de electione*: qui fuſius explicatur *in diſcurſu noſtro IV. theſ. 31. & ſeqq.* quò æquum lectorem transmiſſum volo. Nos hîc pauca adjungemus, quod nimirum electio communiter & non clam fieri debeat *d. c. 42. §. fin.* nec ſorte, *c. 3. de ſortilegiis.* quam ſententiam nihil infringit exemplum de Matthia, qui ſorte fuit electus, quia reſpondetur ad hoc *per c. 2. XXVI. quæſt. 2.* quod illius exemplo aliquis per ſortem non ſit eligendus! Et quod hoc ſit factum divina inſpiratione videmus *ex c. dixit XVI quæſt. 5.* nec porrò quid contra nos facit *c. 1. XXVI. q. 2.* quod ſors non ſit aliquid mali; ſed reſpondetur: in judiciis ad dirimendas lites & diſſenſiones hoc cap. ſeu ſortem adhibendam eſſe: Aliter autem ſe habet in Electionibus, licet ibi ſit diſcordia, tamen per jura allegata minimè licet. *gloſſ. ad d. c. c. Eccleſia de ſortilegiis lit. C.*

28. Præterea communi utilitati in Electione proſpici debet. *cap. ult. VIII. quæſt. 2.* non acclamationi populi gratificandum, ſeu ex gratia faciendum, *cap. 13. & 15. VIII. quæſt. 1.*

29. Multò

29. Multò minus debent vota eligentium eſſe incerta, conditionalia vel alternativa, *c. 2. de elect. in 6. ibiq; gloſſ. c. un. de poſtul. præl. in 6,* ſed publicanda certè eſt electio, *c. 42. de elect.* perq; unum pronuncianda, non per plures *c. 21. de elect. in 6.* omnium ſcilicet vice, *gloſſ. ibi lit. I.* Si autem in Electione diſſentiant eligentes, ſtatur majoris partis ſententiæ, *c. 21. §. diſcretioni. c. 33. de election.* præſupponitur autem major pars ſanior.

30. Quæ Electionem conſequantur, videri poſſunt *ex diſcurſ. noſtro IV.* meritò igitur ad Prælatorum jurisdictionem Eccleſiaſticam examinandam nos accingemus. Quæ acquiritùr vel Electione, vel præſcriptione 30. annorum, *c. 8. XVI. quæſt. 3. c. 1. XIII. quæſt. 2.* cum ſcilicet Eccleſia præſcribit contra privatum: ſed ſi Eccleſia contra Eccleſiam, & privatus contra Eccleſiam, requiruntur 40. anni, *gloſſ. ad d. c. facultates. 1.*

31. Defendenda eſt etiam Jurisdictio & non intermittenda, nam ſi quis non præſtiterit debitam obedientiam, removetur & deponitur: Et ſi quis impedierit Eccleſiaſticam jurisdictionem excommunicatur, *c. 4. de immunit. Eccl. in 6.*

32. Amittitur autem jurisdictio, ſi unio fiat Eccleſiarum, & tranſit ad eum cujus Eccleſiæ eſt altera unita, *cap. 55. XVI. quæſt. 1.* niſi ſpecialiter in unione jurisdictio ſit reſervata. Si autem diviſio ſit facta Eccleſiarum, per illam jurisdictio non amittitur *Extravag. Joh. XXII. c. apoſtolatus, 2. de conceſſione præbendæ.*

33. Conſideratis hactenus Prælatis in genere: Species quoq; referre & tractare requirit inſtituti ratio. Species autem tres ſunt, Abbates ſcilicet, Præpoſiti & Abbatiſſæ, quas ordine, quantum fieri poteſt conſiderabimus, ab Abbate initium facientes.

34. Vocula Abbas linguâ Syriaca patrem ſignificat *Alciat. in l. 1. C. de in jus voc. Lancell. templ. omn. jud. 2. c. 7. n. 15.* Græcis πάππας: quod Monachi, qui in ipſius poteſtate ſunt, ipſum tanquam patrem venerari, & illi ob ætatem debitum honorem exhibere debeant: ideò (aliis Archimona-

chus)

chus) appellatione Monachorum continetur, *c. ult. X. de Simon.* Forma appellationis ex Anachoretis, qui à ſecedendo dicti ſunt, qui in eremum ſeu deſertum eremitarum more olim confugiebant. *Rittershuſ. ad Nov. Juſtin. p. 1. c. 6. num. 19.* primùm cœpit frequentari in Chriſtiana religione, ſcribit namq; Sozomenes lib. 5. c. 10. & alii Hilarionem, Anachoretam in ſaltibus Thebaidis Syriæ primùm floruiſſe Monachum, à quo plures vivendi formulam accipientes eremi cultum in cœtum transtulerunt. Poſthæc D. Antonius in Thebaica regione Ægypti condidit Monaſterium, quem innumeri poſtea ſecuti ſunt, qui ſuos Duces & Præpoſitos linguâ patriâ Abbates appellarunt. *Pet. Greg. Tholoſſ. ſyntagm. lib. 15. c. 13.*

35. Prædicti Abbates olim à Græcis Archimandritæ, id eſt, Principes Monaſterii ſive patres Monachorum, *Rittersh. d. l. n. 17.* vocabantur. *l. reddentes. §. omnes verò. C. de ſumm. Trin.* quod, quando à Tyrannis Chriſtiani perſecutionem paſſi ſunt, metu eorum in ſylvas & eremum ſeceſſerint, & in ſpeluncis, quæ Græcis μάνδραι dicuntur, ſe continuerint, *Greg. Tholoſſan. d. l.* diſſent. *gloſſ. in d. l. reddentes. §. 2. verbo Archimandritæ, ibi:* Archimandritæ dicuntur ab argos, quod eſt Princeps, & mandros, quod eſt ovis, inde Archimandrita, id eſt, Abbas, qui præeſt ovibus, hoc eſt, Monachis. Hodie nomen illud ratione ſolitariæ vitæ, quam cum Monachis quibus præſunt eligunt, retinuerunt.

36. Dicuntur etiam Vicarii Dei, quoad ſuos Monachos, *gloſſ. in c. emendata. de præſumt.* item ſponſi, *Lancellot. Conrad. d. l.* Poſterioribus ſeculis Abbates etiam dicti ſunt Proceres, ſeu Primores aut Barones, quibus Abbatiarum proventus fruendos Reges ad tempus conceſſerunt. Unde *Guid. Paradin. ſcriptor annal. Burgund. libr. 2 ſub Anno 1103.* teſtatur, ſe monumenta vidiſſe complura perantiquata, in quibus Proceres Galliæ, his nominibus utebantur, Dux & Abbas, Comes & Abbas: Et alibi Abbatiæ & Comitatus. *Pratei. in Lexico jurid. Hottom. in Lex. Feud. Calv. in Lex. jur. in verb. Abbas.*

37. Quis autem ordinandus ſit Abbas? videmus,

quod non Clerici, *c. pervenit. cum c. ſeq. XVIII. q. 2.* nec alterius Monaſterii Monachus, niſi in Monaſterio vacante idoneus non exiſtat, vel conſuetudo loci in contrarium extet *ſupra th. 16.*

38. Qualis ordinandus? definit *c. 3. & c. 4. XVIII. q. 2.* in quibus Canon. ut & *c. 2. c. quam ſit §. defuncto* etiam dicitur à quib. ſit eligendus: à conventu ſcilicet, non ab aliis. Hoc autem non procedit, ſi Abbas religioſis fœminis ſit præficiendus, *c. 11. d. l.*

39. His præmiſſis Abbatem hoc modo deſcribimus. Abbas eſt Prælatus communi conſenſu Monachorum per congregationem electus, ut illos vitæ innocentiâ præcedat, & totius collegii ſalutem promoveat.

40. Prælatum dicimus Abbatem, quia iſta vocula latior eſt hac, uti ex illis quæ ſupra diximus conſtat. Non igitur dubitamus, quin dicta vox generis vicem hic ſuſtinere poſſit.

41. Deinde, quando Prælatum appellavimus Abbatem, præſupponimus illum debere eſſe perſonam idoneam & puram ab omnibus exterioribus peccatorum maculis: Hoc eſt Abbas ſit cautus in regimine, humilis, caſtus, miſericors, diſcretus, divina præcepta verbis & exemplis oſtendat, *Lancell. d. l. n. 2.* alioquin ab Epiſcopo in cujus territorio conſiſtit, & à vicinis Abbatibus, & cæteris Deum timentib. à ſuo arceri poteſt honore; etiamſi omnis congregatio vitiis ſuis conſentiens eum Abbatem habere voluerit, *ut ſunt verba c. ſi quis XVIII. q. 2.*

42. Electus autem ſit Abbas ſecundum præſcriptum modum *ſupra th. 38.* quando igitur dicto modo electus eſt, tunc etiamſi Epiſcopus illum non benedixerit, nihilominus ille Abbas eſt & dicitur (omiſſio enim benedictionis non vitiat electionem *Lancell. d. l. n. 13.*) quia proprios Monachos benedicere poteſt, *c. 1. de ſuppl. negl. prælat.* illosq; in alio Monaſterio exiſtentes vindicare, *Lancell. d. l. n. 33.* & alia, quæ ad illius officium pertinent, exercere poteſt. Sed hoc ſimpliciter verùm eſſe non putamus *cum gloſ. in d. c. in verb. aliis.* ſed quod illud in odium Epiſcoporum fuerit introdu-

ctum

ctum à Pontifice, ne ſcilicet propterea in ſpiritualibus & aliis, Monaſteria propter negligentiam Epiſcoporum detrimentum patiantur, quando Epiſcopus Abbati benedictionem recuſat.

43. Abbates inſuper, habent jurisdictionem in Monachos privativè ad Epiſcopum, *Felin. in c. paſtoralis de off. ordin. n. 4.* Et hæc ſententia in tantum vera eſt, ut quoq; jurisdictionem criminalem eidem tribuat, unde Monachus licentiatus, ſi antequam ſe conferret in aliud Monaſterium, furtum facit, vel aliud crimen committit, caſtigatio ſpectat ad Abbatem illius loci, ubi profeſſus fuit, & non ad Epiſcopum ſub cujus jurisdictione crimen commiſſum eſt. Nec infringit hanc ſententiam illud quod poſitum eſt *in l. fin. C. de jurisd. omn. jud & in gloſ. cap. cum ab Eccleſ. de off. ordin.* nempè Prælatos & judices inferiores habere jurisdictionem in ſubditos non excluſo ſuperiore, ſed cumulativè ad Epiſcopum ſuperiorem, quia receptâ conſuetudine abrogatum fuit, *Felin. d. l.* quod probat exemplo cujuſdam Monachi Licentiati Benedictus Vadus *in repertor. Felin. §. Prælati regulares.* qui à Curia Epiſcopali in furto captus, ſed tamen non ab Epiſcopo punitus, verum Abbati reſtitutus fuit.

44. Ex eadem jurisdictione quidam Abbatibus tribuunt poteſtatem abſolvendi Monachos excommunicatos ab omnibus excommunicationibus à jure inductis *Vadus d. l. §. Abbas an poſſit.* ne Monachis detur materia evagandi, Contrarium tamen verum eſſe aſſerimus ex illa ratione, quod abſolutio à ſententia excommunicationis lata à canone conceditur duntaxat Epiſcopis. *Panorm. ad c. nuper. de ſent. excomm.* cum iſta ardua ſibi ſolis pro reſervatis habeant: niſi ob excommunicationem, quæ parit contemtum: in qua Abbatibus fuit conceſſum, abſolvere eos: quod tamen non eſt extendendum ad conſeq. cum ſimus in materiâ exorbitanti, *l. 14. ff. Legib.* declaratur tamen hoc quadrupliciter, ubi abſolutionem adhibere poſſunt. 1. quando Abbas habet jurisdictionem quaſi Epiſcopalem; quam præſcribere poteſt *c. auditis cum gloſ. de praeſc. ibi Panorm. n. 4.* niſi jura Epiſcopalia ſint ordinis, *n. 13.* 2. quando religioſus eſt excommu-

nicatus ex conſtitutionibus ipſius regulæ. 3. quando ipſe Abbas excommunicaſſet. 4. quando Monachi ſe invicem percuſſerint. Aliàs Monachos irregulariter viventes, niſi ſe corrigant, ejicere poteſt. *c. relatum. Ne cler. vel monach.* quæ omnia debent fieri corrigendi animo non ſæviendi & ex indignatione & ad vindictam, *gloſ. c. & qui diſt. 45.* ſint ſeveri contumacibus, benigni pœnitentibus, promtiores ad miſerendum quàm puniendum.

45. Præterea plenam & liberam habent adminiſtrationem in rebus Eccleſiæ *c. 42. de elect.* Excepto hoc quod immobilium alienatio ipſis eſt prohibita: nam dicuntur tantùm adminiſtratores non domini, *c. Fraternitatem: & Panormit. de donat.* mobilium autem, etiam pretioſorum minimè in caſu licito, *gloſ. ad d. c. lit. L.* de iis autem, quæ ſervando ſervari non poſſunt, non eſt dubium, *l. 22. C. de adminiſt. tutor.* Si autem alienatio quædam, quomodo etjam fiat, contingat, videtur facta collaudatione vel ſubſcriptione *c. Abbatibus. XII. q. 2.* Clericorum vel Monachorum, aliàs irrita eſt, *c. ubi Abbas. de his, quæ fiunt à præl.* cum in geſtis ab Abbate ſemper præſumitur interveniſſe conſenſus conventus & capituli, *c. da. d. tit.* Poteſt tamen alienare bona Monaſterii ſeu res immobiles. 1. propter debitum, quod ex fructibus diſſolvi nequit. *cap. hoc jus. 11. q. 2.* 2. Propter redemtionem captivorum vel ſuſtentationem pauperum caritatis annonæ. *c. 70. XII. q. 2.* 3. Propter utilitatem publicam, ut quia venduntur res, quæ ſervando ſervari non poſſunt, aut quæ magis oneri, quàm emolumento ſunt Eccleſiæ, *c. 7. de reb. Eccleſ. non alien.*

46. Eſtque obligatus ex officio obſervare nec mutare ea, quæ ordinata ſunt in regula, niſi quatenus in regula permittitur, *c. dilectus. de tempor. ordin. ibiq; gloſ.* aliàs mortaliter peccat, *Lancell. d. l. n. 42.*

47. Obligatur etiam ex contractu & delicto Monachi; poteſtq; conveniri ſive ante ſive poſt ingreſſionem Monaſterii, Monachi; ſi ſcilicet aliquid ad ipſum pervenit. Ipſi Monacho Abbas minimè obligatur: prout nec dominus ſervo, quia nulla inter eos eſt obligatio. At poteſt accu-

ſari per Monachum, *Lancellot. d. l. n 43.* tenetur〈que〉 furti actione, furans res capituli. *Bald. ad l. 1. §. 21. ff. de tutel. & rat. diſtrah.*

48. Nunc ad alteram ſpeciem Prælatorum progreſſum facimus Præpoſitos ſcilicet; qui dicuntur à præponendo, quod aliis præponantur. Quos etiam Prælatos appellare poſſumus, quia habent ordinariam jurisdictionem, prout infra patebit, & clariſſimis annumerantur.

49. Quamvis autem dicta vox ſit generalis. *Cujac. ad l. 2. C. de excuſat.* poßitq; dici de quolibet, qui aliis præeſt. Uſus tamen obtinuit, ut Præpoſitus dicatur, qui quandam prioritatis curam ſuper alios gerit, *c. quamvis. de V. S. ibiq; Panomitan.*

50. Sub *rubrica. C. de ſuſcept. & præpoſ.* dicuntur Præpoſiti, qui horreis pagisvé præfecti ſunt, *l. 2. C. eod.* horreis ſcilicet, in quæ ſpecies fiſco debitæ importantur: pagis autem unde exportantur, *Cujac. ad d. rub.*

51. Aliqui dicuntur Præpoſiti laborum, vel ſecundum aliquos labiorum à labiis; qui fortè corrigebant eos, qui male de Principe loquebantur. Dicuntur autem laborum à ſigno bellico, quod curavit Conſtantinus ex auro & lapidib. pretioſis in vexillum crucis transformare, quod laborum vocatur. *Gothofr. ad l. un. C. de præpoſit. laborum.* cum Cujacio hic vult pro laborum labarorum. Eſt autem labarum magnum vexillum, quod Imperatori præferri ſolebat, & à militibus penè adorabatur. Illorum autem à Conſtantino, *teſte Euſebio*, huic rei 50. milites fuêre Præpoſiti, quæ ex protectoribus & domeſticis erant, obq; id poſt titulum de domeſticis & protectoribus, ponitur titulus de præpoſitis laborum. *Calvin. in Lex. jurid. ſub. verb.* præpoſiti laborum.

52. In Romana militia vocabantur, qui ſub tribunis certo militum numero erant Præfecti. *Sueton. in Othon.* Quomodo autem illorum occiſores vel deſertores, & cujuſcunq; modi violatores ſint tractati, videndum eſt, *ex l. 3. §. 2. & ult. l. 6. §. 1. & ult. ff. d. re militari.*

53. Præpoſiti ſacrorum ſcriniorum erant illi, qui præerant ſcriniis Imperialibus: qui aliàs dicebantur proximi, quod magis Principi approximabant quàm alii. Tria autem erant ſcrinia ſive cameræ. *C. de proxim. ſacror. ſcrinior.* Primum ſcrinium erat camera Epiſtolarum, quæ Principi mittebantur, vel ab eo mittebantur. Secundum fuit libellorum conventualium & conventionalium, & cognitionum ſive conventionum. Tertium erat diſpoſitionum, ut eſt regiſtrum. *Accurſ. in rubr. eod. tit.* Illorum autem prænominatorum qualia ſint privilegia & immunitates videri poteſt ex eod. tit.

54. Nobis Præpoſitus, Eccleſiaſticus Latinè dicitur, qui à Græcis œconomus, hoc eſt, qui proventus Eccleſiaſticos adminiſtrat, & ſecundum Epiſcopum plebi præeſt. *Calvin. d. l. ſub verbo præpoſ. Eccleſ.*

55. Poſſunt autem eligi in Præpoſitum, quibus ætas debita (hodiè 20. anni ſufficiunt, ſi accedat diſpoſitio Epiſcopi, *c. permittimus. de ætat. & qualit. cum gloſſa.* Si aliud non obſtat canonicum, quod ſint illegitimi, corpore vitiati, bigami, criminoſi &c. *gloſſ. ibi*) cum prudentia & vitæ merita ſuffragantur, *cap. innovamus. diſtinct. 60, c. legimus. diſt. 93.*

56. Illorum Electio, ſive in Eccleſiis cathedralibus, ſeu conventualibus ſeu collegiatis, de jure communi ſpectat ad collegium, *c. Adrianus. diſt. 63. c. in nomine. diſt. 23.* niſi de conſuetudine aliter obſervetur, vel privilegio aliter ſit receptum. *c. cum Eccleſia. de cauſ. poſſ. & propr. c. cum dilect. de conſuetudine.*

57. Jurisdictionem quod attinet, illam habent ordinariam in Canonicos & Clericos ſuæ Eccleſiæ, quibus præſunt: ac poteſtatem illos excommunicandi, ſi contumaces fuerint & rebelles eorum mandatis, *c. irrefragabili. c. ad reprimend. de off. ordinar.*

58. Reſtringitur autem eorum jurisdictio, quanta etiam ſit in eo, quod abſq; autoritate Epiſcopali alienare non poßint, *Lancellot. d. l. n. 6.* illos ipſos autem ad plurima teneri, extra dubitationis aleam poſitum eſſe, nulli non

con-

conſtat. Præſertim tenentur ad refectionem & ampliationem Eccleſiæ ſuæ, uſque ad quartam redituum, detractis omnibus incumbentibus Eccleſiæ, & alimentis ipſius, arbitrio boni viri taxandis *Lancell. d. l. n. 11.*

59. Sequitur in ordine tertia ſpecies Prælatorum, quæ eſt de Abbatiſſis. Et dicitur Abbatiſſa Aſcetriarum Monacharum ſive monialium Antiſtita, quæ à Juſtiniano *in Novell. 133.* ἡγουμένη appellatur.

60. Eligendi formam habemus, *in l. 47. §. 2. C. de Epiſc. & Cler. Nov. 123. c. 34. & c. 43. de elect. in 6.*

61. Quales autem eligendę ſint, hoc iterum habemus *in d. c. 34. Nov. 123.* Olim præfici non poterant, niſi eſſent ſexagenariæ & virgines, *c. juvenculas. XX. quæſt. 1.* poteſt tamen hoc intelligi, quod ſit ſexagenaria non ætate, ſed perfectione continentiæ, *c. 26. II. q. 7.* Ideò autem eſt virgo, quia aliter non poſſit eſſe hortatrix virginitatis, *c. 4. diſt. 27. gloſſ. ad cap. juven.* Hodiè poſt exactum 30. ſuæ ætatis annum ad mittuntur, *c. 43. de elect. in 6.*

62. Baſtarda autem non poteſt eligi, *gloſſ. d. c. 43*, nec corrupta, *de filiis presb. ord. per tot.* nec poteſt Epiſcopus diſpenſare cum tali illegitima corrupta: quia iſtud de jure eſt ita conſtitutum, quod patiens defectum in natalibus non poſſit eligi in Abbatiſſam: at non datur Epiſcopo facultas diſpenſandi contra jus, *Felin. ad c. meminimus. de accuſat. num. 4.*

63. Electa in Abbatiſſam & confirmata poteſt appellari Abbatiſſa ante benedictionem, *Panorm. c. meminimus. de accuſat. Felin. ibi. n. 1.* debet autem intra annum à ſuæ confirmationii tempore in Monaſterio benedici. *c. attendentes. de ſtatu Monach. Panorm. d. l.* niſi ſubſit cauſa rationabilis. *d. c. attend.* alias ſuo jure prorſus cadit.

64. Earum munus, cum in multis non conveniat cum Abbate, hîc operæ pretium eſſet apponere: ſed chartæ redimendæ gratiâ, benevolum lectorem ablegamus *ad Lancell. in templ. omn jud. lib. 2. cap 7. n. 44. & 45.* Unicum hoc addo, quod non poſſit abſolvere, ubi etiam conſuetudo ſit. *Felin. c. dilecta. de majoritat. n. 4.* nec benedicere moniales,

les, confeſſiones audire, nec publicè prædicari, *cap. 10. de pœnitentiis.*

65. Et hæc dixiſſe ſufficiant de Prælatis eorumq; ſpeciebus, tanquam perſonis Eccleſiaſticis. Nunc accedimus ad ſeculares perſonas Prælatorum. Definimus autem hoc modo. Prælati ſunt ſtatus Imperii, non ſolùm jurisdictionem Eccleſiaſticam & ſecularem omnimodam in ſuis diſtrictibus, verùm etiam votum in Comitiis, non quidem ſinguli, ſed univerſi, habentes.

66. Illorum autem prædictorum, ſecundùm matriculæ ordinem, ſunt ſequentes. Reichenaw/ Weiſſenburg / Salmensweiler/ Weingarten/ Ochſenhauſen/ Walckenried/ Roggenburg/ Vrſperg/ Minderaw genandt Weiſſenaw/ Schuſſenried/ Marckthal/ Petershauſen bey Conſtentz/ Elchingen/ Kempten/ Gengenbach/ Odenheim/ Keyſersheim/ Münichsrod/ Hirſaw/ Schuttern/ Dieſſen/ Sallfeldt / Werdeen / S. Heymeran zu Regenſpurg/ S. Maxim. S Michel zu Lünenburg/ S Cornelij Münſter auff der Inden Cöllniſchen Biſtumbs / Münſter in S. Gregorienthal/ Sorbeyen/ Creutzlingen/ [illegible]chternach/ Irrſee / Königsbrunn / Roth / Stabel / Walda[illegible]ſen Præpoſiti ſunt: Oberſtein/ Berchtolsgaden/ S Mauritien in Augſpurg/ S. Gesmans zu Speyer/ Seltz/ Kronenberg/ Kramberg Wimpffen/ Waltkirch/ Iſenhasen/ Elwangen/ Ettingen/ Wettenhauſen/ Weiſſenburg an vnter Elſaß. Abbatiſſæ hæ referuntur. Quedlinburg/ Gernroda/ Andlaw/ Buchaw am Federſee / Lindaw/ Gandersheim/ Obermünſter in Regenſpurg/ Niedermünſter in Regenſpurg/ S. Erhardeu / Rottenmünſter / Hergbach/ Herwerden/ Hervordt/ Guttenzell / Bucha/ Baind. *Dn. M. Reinh. König, diſp. polit. 8. theſ. 16. & ſeqq.*

67. Ex his etſi pleræq; Principum honorem & titulum gerant, tamen quoad locum in conſeſſu, ac dictionem ſententiæ pari cum reliquis jure cenſentur, *diſcurſ. noſtro V. th. 23.* Prælatis annummerantur Commendatarius provinciaiis Confluentinus, item Alſatiæ & Burgundiæ.

68. Olim quidem ordinis Equitum tàm Marianorum quàm D. Johanni ſacrorum Magiſtri, item Abbates Fuldenſis, Hirsfeldenſis, Campidonenſis, Murbacenſis, Prumenſis,

Cor-

Corbejenſis, Stabulenſis, Præpoſitus Elbangenſis, & Berchtelſgadenſis, Prælatorum nomine veniebant; hodiè tamen in album & ordinem Principum Eccleſiaſticorum recepti ſunt, ſingulorumq; ſuffragiorum jus obtinent. *Paurmeiſter. 1. de jurisdict. c. 10. n. 7.*

69. Illorum cauſam remotam, ſive primam ponimus Deum. Propinquam ſive ſecundam duplicem habemus. Vel enim reſpicimus illos ut perſonas Eccleſiaſticas, tunc cauſa efficiens propinqua eſt Capitulum, de quo ſupra: Vel ut perſonas politicas, tunc eſt Imperator.

70. Etenim Carolus IV. (verba ſunt Andreæ Knichen *de ſublim. & reg. territ. jure cap. 1. n. 15.*) Abbates opulentiores titulo Principum decoravit, inſignivitq; Principes imperii, *Cruſ. annal. Suevic. p. 3. lib. 5. fol. 264.* Cumprimis quatuor imperii, aut potius cathedræ Imperialis Abbates conſtituit Fuldenſem, Album Caſtrenſem, Campidonenſem ac Murbacenſem, inde ſic nominati, quod ad pedes Cæſaris in publicis imperii ſtatum Comitiis ſedere deberent: *hactenus Knichen.*

71. Deinde jus præſentandi & nominandi Prælatos non minùs competit Imperatori ratione primarum precum, quàm in qualibet Germaniæ Eccleſiæ præſentandi alium ad beneficium Eccleſiaſticum. *Speculat. in tit. de prabend. §. reſtat. n. 7.* ubi dicit ſe hoc vidiſſe.

72. *Sed an eadem præſentandi poteſtas competat Sereniſſimis Imperii vicariis vacante imperio?* Ita quidem innuere videtur. *Marq. Freher in not. ad Petr. de Andlo. lib. 2. cap. 6.* Ubi dicit, quod olim Rupertus Imper. in Italiam diſcedens Ludovicum Palatinum conſtituerit, eiq; poteſtatem præſentandi & nominandi Prælatos dederit.

73. Jus inveſtiendi Prælatos de dignitatibus olim quidem competebat Imperatori, qui eos per annulum & baculũ inveſtire ſolebat, ſed poſtmodum Henrico V. transactio extorta eſt, per quam omnes Epiſcoporum, Prælatorum & Abbatum inveſtituras, per annulum & baculum fieri ſolitas Pontifici ceßit, ſibi verò reſervavit, quod Abbates Prælati & Epiſcopi electi inveſtituram regalium ſuorum per ſceptrum

(unde Szepterlehen nominantur) ab Imp. debeant & teneantur accipere, *referente Sigon. lib. 10. de regn. Italiæ. Crantz. lib. 5. Saxon. c. 42.*

74. Si trutinemus materiam unde dependeant, qui ſcilicet habiles ad munus illud ſubeundum ſint, habemus etiam ſuperioribus, prout cauſam formalem.

75. Finis duplex eſt. Prior, ut Eccleſiæ præpoſitæ bonum promoveat, omnia ritè adminiſtret & ad Dei gloriam hominumq; ſalutem dirigat. Poſterior, ut in Comitiis jus reddendi ſuffragii, eaq; omnia, quæ poſſunt Principes ſeculares, nomenq; quod ſint Status Imperii mereantur. Vide plura *diſc. noſtro V. th. 63.*

76. Effectus quod attinet: duplici etiam modo conſideramus. In priori modo nihil immorari volumus: cum illi ſatis pro inſtituti ratione ſint expoſiti. In poſteriori, prout recognoſcunt immediatè Imperatorem ſuperiorem, idem effectus regalia & ſuperioritats immunitates & privilegia cum jurisdictione & exercitio meri & mixti imperii Ober vnd Vntergerichte ipſis competunt, qui Principibus ſecularibus ſeu politicis competunt, quos videre licet in *diſcurſu noſtro V. à theſi 61. usq; ferè ad finem.*

77. Cum autem regalia diſtribuantur in majora & minora, ut notum eſt ex Dd. Majora autem dicantur, quæ ſupremam Imperatoris authoritatem & præeminentiam demonſtrent: Minora, quæ præter Imperatorem ſibi alii duobus modis acquirunt, conceßione & præſcriptione. Hinc quæritur: *An etiam contra ignorantem Imperatorem tàm majora quàm minora regalia, imò & jus ſupremæ poteſtatis præſcribi poßit ex curſu temporis immemorialis?* Aff. cum textus ſit ſingularis, *c. ſuper quibusdam. 26. verſ. præterea, ibi, vel ex antiqua conſuetudine à tempore cujus non extat memoria introducta. de verb. ſign.* & præſcriptio talis vim privilegii habeat à Principe expreſsè & ex certa ſcientia conſtituti, *l. 3. §. ductus aquæ. ff. de aq. quotid. & æſt.* & legitimæ conceſſionis loco ſit. *Niel. diſp. feud. 11. th. 1. lit. D.* Jus autem ſupremæ poteſtatis præſcribi poſſe aſſerit, *Vaſq. illuſt. contr. lib. 2. cap. 82.* Omnia debent autem fieri tempore immemorabili, non longo

ngo tempore 10. ann. nec longiſſimo 30. vel 40. ann. cum
gulariter ea, quæ non niſi ex privilegio & ſpeciali Princi-
s conceſſione competunt, immemoriali tantum tempore
æſcribantur. *Niell. d. l.*

78. Circa illam jurisdictionem quam habent, prout
eteri Principes immediatè Imperatorem recognoſcentes
bium occurrit, in Prælatis. *An poſſint res in feudum dari ſo-
as ſine conſenſu capituli in feudum concedere?* Ratio dubitan-
hæc eſt, quod ſine conſenſu, ſigillatione & ſubſcriptione
pitulari de rebus Eccleſiæ diſponere non poſſint, ut tracta-
mus ſupra *per c. Abbatibus 41. c. ſine exceptione. 52 XII. q. 2.*
c in alienatione rerum perpetua tacitus Capituli conſenſus
ficiat, nec præſumatur, ſed probandus ſit, *Panormit. c. 1. n.
& 9. de his quæ fiunt à Prælato.* Contrarium tamen ex con-
tudine obtinuit, quod conſenſus capitularis in rebus Ec-
ſię à Prælatis in feudum dari ſolitis non requiratur, ſed
emlibet inveſtire poſſit, dummodò talem eligat, qui Ec-
ſiæ tempore neceſſitatis utiliter inſervire queat, quia talis
nceſſus non eſt nova infeudatio, ſed potius prioris exe-
tio. *Gail. 2. obſ. 161. n. 3.*

79. *An autem ſuos conſanguineos & affines cum effectu
eſtire poſſit, uti extraneos in dubium vocatur?* Aff. cum *Joh.
ddæo diſp. feud. 4. th. 5. lit. B. per cap. non exiſtimamus. 19.
II. q. 2. l. præſes. 6. C. de ſervit.* dummodò Eccleſia non
eratur per conſanguineos, & dummodò aliàs bonæ ſint
ditionis ac famæ. *Nicol. Everard. in loc. à feudo ad Em-
teuſin. n. 20.*

80. Sed conſuetudinem infeudandi mares mutare
n poteſt, infeudando ſcilicet fœminas de bonis quæ ma-
lis debentur, niſi hoc fiat propter meritum ſervitium ſeu
orem recipientis, nimirum, ſi filia ſit vaſalli benè meri-
ujus amor & reverentia in filiæ quoq; utilitatem meritò
berat. *Mynſing. 4. obſ. 88. n. 1. & 2.*

81. Verùm quibuſdam dubium obtruditur illud: *An
Eccleſiaſtici licet aliis feuda concedant, poſſint iſta accipere?*
t qui negant per tit. *ſi de feud. content. ſit inter dom. &
. vaſ. 26. item de feud fœm, 30. de vaſallo milite. 20. 2. Feud.*

cui ſententia adſtipulatur Mynſing. 5. obſ. 48. n. 8. Alii diſtinguunt, utrum feudum talis naturæ vel qualitatis ſit, quod ſervitium pro eo debitum æquè præſtari poſſit per Eccleſiaſticum, ſicut per ipſum vaſallum laicum. Sed his non obſtantibus affirmativam tuebimur ſententiam per *tex. in cap. de capitulis Corradi. 40. Feud. 2. cap. ex transmiſſa. 6. de foro compet.* Uſus itemq; ſatis docet, quod Eccleſiaſtici feuda ampliſſima in Germania poſſideant & obtineant.

82. Territoria autem, regalia & dignitates, ipſis ſub conditione certorum ſervitiorum; modò ſint de re licita, honeſta & poſſibili: cum vaſallus nihil ſuſcipere debeat, quod vel ejus conſcientiam, honorem vel exiſtimationem lædere poſſit: rerum enim turpium nulla eſt obligatio, *l. 27. §. 4. ff. de pactis.* Feuda namq; dantur, propter virtutem. Et juramento fidelitatis dantur, quæ requiritur tàm à parte domini, quàm vaſalli: non enim gravabitur dominus præſtare, quod ab aliis faciendum & præſtandum exigit. Hinc quæritur: *An vaſallus ſola feudi recognitione, ſeu ratione juramenti homagii, Germanis* Lehenpflicht *juris dictioni ordinariæ domini inveſtientis ſubjiciatur?* Neg. cum iſta jurisdictio quàm dominus ex natura contractus feudalis acquirit, non ſit ordinaria & generalis, ſed limitibus certis circumſcripta, *c. paſtoralis. 2. §. deniq. de ſent. & re jud.* Ideò non plus exercere poteſt in vaſallum, niſi ex ſpontanea ſubjectione vel conventione vel præſcriptione id fiat.

83. Et hæc ſunt quæ de Prælatis hac vice partim propter anguſtiam chartæ, cum brevem diſquiſitionem de hac materia non longum tractatum ſcribere voluerimus, partim propter anguſtiam temporis aſſerere nobis viſum fuit: Aliis relinquentes longiùs tractare occaſionem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DISC. VII.